

instar sunt, suis lateribus reflexionem versus alias atque alias partes continuantium.

Hinc ut non in quocunq̄ue speculi posito, nec in totâ ejus superficie, sed in determinatâ saltem particulâ, ex determinato loco situq; oculi lucem & imaginem Solis speculum illustrantis videre possumus; ita vicissim, in aspero pariete, Soli exposito, licet ipsam Solis imaginem non videamus, ex quavis tamen parte sensibili versus quamcunq̄ue plagam hemisphærii prædicti radios lucis exire, totumq̄ue adeò parietem splendere sentimus. Quod idem cum primis in Lunâ fieri videmus. Hæc enim radios à Sole mutuatitios ad eundem modum non ex unico sui puncto ad unum saltem & determinatum locum oppositum, sed ex toto sui disco ad omnes hemisphærii circumjecti plagas remittit, ut claritas ejus ex Terrâ nostrâ non tantum, ejusq̄ue pluribus & longè distitis regionibus, sed & ex aliis hemisphærii illuminatorii punctis percipi simul possit. Nempe quia politum non est lunare corpus, nec speculi convexi rationem obtinet, ut opinati quidem videntur fuisse Plinius l. 2. cap. 9. Macrobius l. 1. in de Somn. Scip. cap. 19. Reinholdus in Purbachii Theorias p. 165. Sed quia parietis instar asperum & quasi rugosum est, multis eminentiis & cavitatibus velut montibus & lacunis præditum, profunditatibus & rupturis magnis sicut Terra nostra finibus, ut ait Plutarchus opusc. de facie in orbe Lunæ, apertum, quod tubospicillis quidem in auxilium adhibitis hoc ævo cuivis ad oculum apparet.

Hinc radii, quamvis simplici tractu linearum in modum è corpore Solis egrediantur, incidentes tamen in tantam disci lunaris asperitatem reflexione à superficieculis quoquo versus spectantibus factâ, hemisphæricè singuli resilire coguntur in partes oppositas. Quam ob causam hinc inde dissipati velut implicantur, & ita resplendescunt.